

50:

DISSERTATIO ACADEMICA  
HISTORIAM DOCTRINÆ  
DE  
AFFINITATIBUS CHEMICIS  
EXHIBENS,  
CUJUS PARTEM DECIMAM QUINTAM  
CONSENSU AMPLISS. FAC. PHIL. ABOËNS.  
PRÆSIDE  
**MAG. JOHANNE GADOLIN,**

CHEMIÆ PROFESSORE PUBL. ET ORD., COLLEGII IMP. MED. ASSESSORE ET,  
EQUITE ORD. IMPER. DE ST. WOLODIM. IN IVITA CLASSE; ACAD. IMP. SCIENT.  
PETROPOL. ET SOCIET. LIB. OECONOM. PETROP. MEMBRO CORRESP., SOCIET.  
IMPER. NATURÆ STUDIOSOR. MOSCOVIT., SOCIET. IMP. OECON. FENN., ACAD.  
CÆSAR. NAT. CURIOS. ERLANG., REGG. ACADD. ET SOCIETT. SCIENTT. HOL-  
MIENSIS, DUBLINENSIS, UPSALIENSIS, GÖTTINGENSIS, SOCIET. ANTEHAC MED.  
CHIRURG. ET PHARMAC. BRUXELLENESIS, SOCIETATIS PHYSIOGRAPH. LUNDEN-  
SIS, SOCIET. MINERALOG. JENENSIS, SOCIET. SCIENT. NATURAL.  
MARBURGENSIS MEMBRO.

PRO GRADU  
PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

*JOH. JOSEPH. PIPPINGSKJÖLD,*  
NOBILIS ABOËNSIS.

IN AUDIT. PHILOS. DIE *IX.* JUNII MDCCCXIX.

H. A. M. S.

---

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

*Thesēs*

44.

Si in corpora chemice composito jure concipi possint moleculæ diuersarum substantiarum juxta se invicem positæ, concedatur tamen nescie est, perfectum adesse inter vires angularum æquilibrium, propterea que nullibi latebunt inter se sociati sales inæqualiter saturati.

45.

Cum nihil fiat sine ratione sufficiente, statuere non convenit, quod in corpore chemice composito nonnullæ, datæ cuiusvis substantiæ particulae alio saturationis gradu contineantur quam reliqua. Sic omnimode homogeneum erit, salibus neutrī simile, productum ex metallo quodam diversis gradibus oxidato formatum.

46.

Ex facultate aquæ diversas electricitates separatim secum necendi explicandæ esse videntur divisiones nonnullorum salium neutrotum, quæ addita aqua, duas porrigit salis species, alteram acido abundantem, alteram basicam. Ex pari causa succedere contendimus conversiones quorundam oxidorum metallicorum, quæ dispergita sub forma oxiduli & hyperoxidi comparent.

47.

Ubi æquales aquæ quantitates necessarie sint ad datam electricitatis virtutem cum radicalibus diversis communicandam, æqualia his non possunt non accedere augmenta ponderis. Et contra, si æqualia sint incrementa ponderum, quæ capiunt diversa corpora inflammabilia, cum per oxidationem æquales acquirunt vires, concludere licebit, eadem ita æqualium similiumpque electricitatum participia fieri, simulac cum æquali pondere aquæ conjugantur.

48.

Sic ex indagata salium neutrorum natura probabile est, quod eadem sit ratio electricitatis latentia idemque pondus substantiæ aquæ per electricitatem in plurimis basibus ligatae, quod vero magis varient in acidis eadem rationes.

49.

Posito, quod radicalia acidorum, pro varia electricitatum + E & - E proportione, diversas exhibeant acidorum species, evanescere videtur differentia, spud chemicos hodiernos, sententiarum, utrum acidum muriaticum & iodicum simpliciora sint an magis composita, quam chlorinum & iodinum, & utrum hydrogenium efficiat partem acidi fluorici & phosphoroſi.

50.

Et cum similiter omnis inter aquam, gas oxygenium & gas hydrogenium diversitas debeatur rationi electricitatum, vanam esse censemus disputationem, utrum aqua ex radicalibus horum gasium sit composita, an habenda sit pro substantia iisdem simpliciore,

tate acidi (6s). Sequenti tabula exponimus has diversitates singularum substantiarum metallicarum ad phlogiston, secundum mentem KIRWANI, ita ut prima numerorum serie, significantur affinitates calcium metallicarum perfecte dephlogisticatarum ad phlogiston, secunda eae, quae oxidis sulphatum, tertia, quae oxidis nitratum, & quarta, quae oxidis muriatum competant,

ad phlogi-

tion affinitas absoluta, in sulphatibus, in nitratibus, in muriatibus

AURI	—	1041	—			
HYDRARGYRI	612	—	552	—	552	—
ARGENTI	—	491	—	491	—	491
PLUMBI	—	483	—	483	—	424
CUPRI	—	454	—	360	—	365
BISMUTHI	—	412	—	350	—	400
COBALTI	—	383	—	300	—	383
FERRI	—	375	—	250	—	250
ARSENICI	—	370	—	520	—	566
ZINCI	—	340	—	298	—	337
NICCOLI	—	358	—	358	—	358
STANNI	—	312	—	218	—	218
ANTIMONII	—	308	—	300	—	308
					—	240

Ex his affinitatum ad phlogiston valoribus, atque estimationibus affinitatum inter substantias metallicas & tria acida mineralia supra (pag. 169) expositis pleraque phænomena præcipitationum metallicarum explicari posse contendit, & exemplo nitritis argenti per additum cuprum præcipitandi ostendit summam affinitatum divellentium ex his valoribus computatam majorem esse summa affinitatum quiescentium. Interpretari quoque ex suis positionibus annis est nonnulla alia

---

6s) Ibid, p. 65 sqq.

alia phænomena irregularitatis speciem pœ se ferentia, ex. gr. quod ferrum contra leges affinitatum præcipitari videatur per cuprum, ubi maxima sui phlogisti parte orbatum facilis ab acido secernatur, tum vero minime sub forma metalli compareat: quod argentum e solutione nitrica difficulter interdum aut plane non per additum ferrum dejici posse, nisi multa aqua diluatur solutio, quoniam propensus sit nitras argenti ad adjungendam sibi partem argenti metallici, pariter ac salia hydrargyrica suscipere valeant hydrargyrum: quod plura metalla longe facilis suscipiantur ab acido cum alia substantia metallicæ antea nupto, quam ab acido nudo: quod propter affinitatem nonnullorum metallorum inter se interdum eveniat, ut neutrum perfecte vi alterius a menstruo suo secernatur, quemadmodum ex nitrate vix omne præcipitatur argentum vi hydrargyri, quin vicissim aliqua hydrargyri pars per argentum dejiciatur. Observavit præterea exceptiones a generali affinitatum regula oriri per mutuam inter diversa oxida metallica affinitatem, per dephlogisticationes aëri accedenti tribendas, quæ affinitates ad acida interdum augent interdum minuant, & denique per formationes salium triplicium.

Sensibus patere atque ponderari posse existimavit phlogiston nudum, quod sua natura elasticum sit, formamque acquirat aëris inflammabilis, hodiernis *gas hydrogenium* appellati. Sed cum neque hujus materiæ præsentia in cunctis corporibus inflammabilibus demonstrata eset, neque confirmarentur assertiones WIEGLEBI, BERGMANNI, KIRWANI aliorumque de determinatis ponderibus phlogisti in sulphure, carbone, ceterisque corporibus, quæ phlogiston fovere credebantur, potissimumque ex LAVOISIERI experimentis ea elucere veritas, quod nihil de suo pondere perdant sub ustione corpora inflammabilia, quin potius semper tantum capiant incrementi, quantum pondere efficit aër ad combustionem necessarius, valuit pedentim apud chemicos sententia, quod natu-  
ram

ram metallicam & inflammabilitatem non habeant corpora ex insito ipsis phlogisto, sed quod eandem sibi propriam perdant per additamentum oxygenii. Attamen quamvis sic nova ori-  
retur phænomenorum interpretatio, ad easdem tamen fere  
hæc quoque duxit computationes, quas per suam theoriam fe-  
cerant phlogistici. In aprico enim cuique est, nihil omnino  
differre proportiones oxygenii in variis oxidis, ab iis propor-  
tionibus, quas dixerunt BERGMAN & KIRWAN obtinere inter  
quantitates phlogisti apud metalla pondere æqualia, scilicet  
quod utræque sint inverse ut pondera metallorum a dato aci-  
do suscepiorum. Hæc probe perfexit RICHTER, qui ex utra-  
que simul causa mutari existimavit & metalla sub oxidationis  
bus suis & alia corpora inflammabilia sub combustionibus, &  
perinde esse judicavit, utrum phlogisti an oxygenii compu-  
tentur quantitates (6t). At quia agnovit imponderabile esse  
phlogiston, oxygenium potius, cuius quantitas pondere æstimari  
poterat ubique respexit, multaque pericula fecit, ut  
quantitates oxygenii in oxidis metallicis, & acidis, ex variis  
corporibus inflammabilibus productis, exploraret. Horum sum-  
mas tantum recitare satis nobis erit, verentibus ne in nimiam  
incideremus prolixitate, si sigillatim ejus recensere experi-  
menta, variasque factas correctiones, antequam ad ultimam  
perveniret conclusionem, occuparemus.

Posito, quod in acidis phosphorico, carbonico, nitrico  
atque in aqua eæ sint proportiones radicalium ad oxygenium,  
quas, ex suis experimentis deduxerat LAVOISIER, scilicet  
quod sit oxygenium ad radicale in *acido phosphorico* ut 60  
ad 40, in *acido carbonico* ut 72 ad 28, in *acido nitrico* ut  
79,5 ad 20,5, in *aqua* ut 85 ad 15; atque quod secundum  
sui ipsius examen analyticum (6u) ratio oxygenii ad radicale  
in

---

6t) *Neue Gegenstände der Chymie St. VIII, IX, X.*

6u) *Neue Gegenstände der Chymie St. V. p. 121 sqq.*

in *acido sulphurico* sit ut 53 ad 42, vedit eas obtingere his substantiis conditiones, ut, si æqualis in omnibus oxidatis oxygenii quantitas (proptereaque etiam phlogisti in radicalibus inflammabilibus) designetur littera *A*, habeatur quantitas substrati sulphurici hoc oxygenio in *acido sulphurico* saturata (aut hoc phlogisto in sulphure saturata) =  $\frac{A^2}{a}$ ; quantitas substrati phosphorici =  $\frac{A^2}{a+b}$ ; substrati carbonici =  $\frac{A^2}{a+10b}$ ; substrati nitrici =  $\frac{A^2}{a+21b}$ , & hydrogenii =  $\frac{A^2}{a+36b}$ ; sive, si æqualia sint pondera radicalium vel substratorum, habeantur quantitates oxygenii in oxidatis (aut phlogisti in inflammabilibus) ut  $a$ ,  $a+b$ ,  $a+10b$ ,  $a+21b$ ,  $a+36b$ , ubi coefficientes litteræ *b* sunt termini ad seriem numerorum triangularem 1, 3, 6, 10, 15, 21, 28, 36, &c. (6v) pertinentes.

In hac quoque serie invenit quantitates radicalium nitrici & muriatici cum data oxygenii quantitate asfociandas loca habere, cum rationes acidi nitroſi & acidi muriatici oxygenati examinaret, poneretque tanto magis differre oxygenium cujusque acidi perfecti, ab oxygenio acidi imperfecti, quanto major sit quantitas oxygenii ad plenam saturationem radicalis necessaria. Observavit redicale nitricum, cum profignatur *oxidum nitroſum*, (sive aër nitroſus), æqualem absorbere oxygenii quantitatem, ac sibi phosphorus sumat, quæ in serie exposita per  $a+b$  designabatur, atque idem radicale, cum producatur *acidum nitroſum* pondere augeri oxygenii, quod locum occupet termini  $a+6b$ , similiterque oxygenium radicali muriatico accesurum, antequam hoc in *acidum muriaticum* con-

convertatur, per  $a + 10b$ , sive quantitatem carbonio sufficien-tem repræsentari, & oxygenium, quo in acidum muriaticum oxygenatum transeat hujus radicale valorem habere termini  $a + 28b$ . Denique probabile ipsi fuit, quod in eadem serie locum termini  $a + 6b$  teneat quantitas oxygenii acido fluorico competens (6x).

Itaque in serie memorata ex numeris triangularibus con-structa, nonnisi duo loca nempe  $a + 3b$  &  $a + 15b$ , non-dum occupata videntur, cum, polita quantitate cujusque substrati vel pondere radicalis = 1000, & littera  $a = 1381$ , atque  $b = 119$ , significanda esset quantitas oxygenii

in <i>acido sulphurico</i>	— — per $a$	= 1531
in <i>acido phosphorico</i>		
similiterque in		
<i>oxido nitroso</i>	— — per $a + b$	= 1500
in <i>acido fluorico</i> , simil-		
terque in <i>acido nitroso</i>	per $a + 6b$	= 2095
in <i>acido carbonico</i> , simil-		
terque in <i>acido muriatico</i>	per $a + 10b$	= 2571
in <i>acido nitrico</i>	— — per $a + 21b$	= 3820
in <i>acido muriatico oxygenato</i>	per $a + 28b$	= 4713
in <i>aqua</i>	— — — — per $a + 36b$	= 5665

Ex detecta proportione, quam supra (pag. 184) exposui-mus, acidorum in salibus neutrīs per datam magnēsiā quantitatē formatis, computavit rationes radicalium, quorum pondē deprehendit in tribus acidis mineralib⁹ efficere terminos progressionis geometricæ continuæ, adeo ut, significata quantitate radicalis in acido muriatico per  $abc^3$  & radicalis acidi nitrici per  $ab^2c^6$ , esset radicale acidi sulphurici =  $ab^3c^9$ , &

ex

---

6x) Ibid, St. IX, p. 96 — 107, St. X, p. 176 seqq.

ex probabilitate attribuit primum ejusdem seriei locum acido fluo-ico, cuius radicalis quantitatem valori a æquiparavit. Et his quidem valoribus, quorum series etiam per  $a$ ,  $ab$ ,  $ab^2$ ,  $ab^3$  exprimi potuerat, diversam quoque volatilitatem acido-rum indicantibus, putavit mensuras affinitatum inter acida & quamvis basin oblatas esse.

In iis oxidationibus metallorum, quibus bases salium ge-nerantur, determinandis difficultates inde ortæ sunt, quod dif-ferant interdum oxida vi acidorum producta ab iis quæ vi ignis obtainentur, atque quod non semper omne incrementum ponderis metallo accedens veniat ex oxygenio, cum in oxi-dis non raro simul lateat aliquid aquæ aut acidi carbonici, aut alijs substantiæ peregrinæ. Maxime fidam esse æstima-tionem quantitatum oxygenii, quæ ex quantitatibus metalli ex acido quodam præcipitati & præcipitantis deducitur, intel-lexit, cum omni sine dubio metallum antea solutum jamque sub forma metallica comparens neque majorem neque mino-rem perdere posse oxygenii copiam, quam secum jungat me-tallum præcipitans, proptereaque dicendum sit de relativa oxygenii in metallis quantitate, quod de diversa phlogisti quantitate docuerat BERGMAN, nempe eam in dato pondere cujusque metalli rationem sequi inversam metalli in data acidi quantitate solvendi. Immo constantem esse hanc oxygenii metallorum rationem, quodcumque pro solutionibus adhibe-a-tur acidum, modo æqualis obtineatur salium metallicorum sa-turatio, observavit RICHTER, cui inde quoque perspicuum fuit, quod quantitates oxygenii in oxidis solutis sint in ra-tione directa affinitatum inter oxygenium & singula metalla, eamque ob causam facillime utplurimum reducentur & sub forma metallica præcipitentur metalla quæ minimum fovent oxygenii, ut oxida hydrargyri atque argenti. At cum præ-terea solutiones metallorum in acidis præcipitationesque eorum per alia metalla & pluribus simul agentibus dependeant viri-bus,

bus, animadvertisit, quod ipsæ inter acida & oxida metallorum affinitates neque quantitatibus oxygenii in oxidis solutis, neque relativis oxidorum metallicorum quantitatibus proportionales sint. Nonnulla quidem metalla pluribus gradibus oxidanda, diversas efficiunt bases salinas, diversisque cum eodem acido producunt sales. Id vero non ostendit, quominus haec etiam a metallo, quod non nisi unam basis salinæ speciem offerre potest, præcipitentur, quemadmodum vi cupri æque perfecte præcipitari videtur hydrargyrum sub forma oxidi ac idem sub forma oxiduli in acido solutum. Sed quia majorem acidi quantitatem sibi necessario illud adjunxit, majorem quoque idem poscat necesse est metalli præcipitantis copiam, antequam totum dejiciatur. Neque alibi discedere observavit RICHTER similia phænomena a lege universalis, quod data acidi quantitas constanter eandem copiam oxygenii una cum metallo solvendo suscipiat.

Examinatis salibus ex acido sulphurico per metalla productis, invenit quantitates omnium, quoquot periculo subjiceret sibi contigerat, metallorum cum data acidi quantitate coniunctorum ita esse comparatas, ut efficiant terminos seriei ratione arithmeticâ uniformiter progradientis, scilicet ut termini  $a$ ,  $a+b$ ,  $a+2b$ ,  $a+3b$  &c. Similem esse ordinem oxidorum intellexit, quoniam in omnibus his salibus non potuit non invariatum esse pondus oxygenii, quo posito =  $u$ , representarentur quantitates oxidorum per  $u+a$ ,  $u+a+b$ ,  $u+a+2b$ ,  $u+a+3b$  &c. Hinc sequitur, quod, si datum sit in singulis iulphatibus pondus metalli, essent oxygenii in iisdem quantitates ut termini seriei  $\frac{u}{a}$ ,  $\frac{u}{a+b}$ ,  $\frac{u}{a+2b}$ ,  $\frac{u}{a+3b}$  &c. At ex phænomenis affinitatum duplicium non minus quam ex constanti lege præcipitationum metallicarum patuit

patuit similes omnino obtineri series, ubi ex quoconque alio acido formata esent salia, modo quod pro diversitate acidii in singulo salium genere definiendi sint valores litterarum *u*, *a* & *b*, constantem ad se mutuo proportionem fervantes. Quibus cognitis, detecta in metallo quoconque quantitate oxygenii five ratione *u*: *a* + *x b*, propter constantem *u* data erit *a* + *x b*, & datus locus, qui huic metallo in seriebus memoratis conveniat.

Tandem ex tentaminibus multipliciter repetitis & inter se comparatis, ita definivit ordinem basium metallicarum, datum quodque acidum saturantium, ut adhibendæ sint sequentes substratorum, five ipsorum metallorum quantitates, nempe

<i>manganesi</i>	<i>a</i> ;	<i>niccoli</i>	<i>a</i> + <i>b</i> ;	<i>ferri</i> —	<i>a</i> + 2 <i>b</i> ;
<i>zinci</i> —	<i>a</i> + 3 <i>b</i> ;	<i>cupri</i>	<i>a</i> + 4 <i>b</i> ;	<i>chromii</i>	<i>a</i> + 5 <i>b</i> ;
<i>antimonii</i>	<i>a</i> + 9 <i>b</i> ;	<i>cobalti</i>	<i>a</i> + 14 <i>b</i> ;	<i>auri</i> —	<i>a</i> + 15 <i>b</i> ;
<i>stanni</i> —	<i>a</i> + 16 <i>b</i> ;	<i>platini</i>	<i>a</i> + 17 <i>b</i> ;	<i>titanii</i> —	<i>a</i> + 20 <i>b</i> ;
<i>uranii</i> —	<i>a</i> + 22 <i>b</i> ;	<i>tellurii</i>	<i>a</i> + 24 <i>b</i> ;	<i>bismuthi</i>	<i>a</i> + 29 <i>b</i> ;
<i>arsenici</i>	<i>v</i> + 32 <i>b</i> ;	<i>plumbi</i>	<i>a</i> + 36 <i>b</i> ;	<i>argenti</i>	<i>a</i> + 38 <i>b</i> ;
<i>molybdeni</i>	<i>a</i> + 64 <i>b</i> ;	<i>hydrargyri</i>	<i>a</i> + 70 <i>b</i> ;		

Pro diversitate vero singulorum acidorum ita determinavit quantitates *a*, *b*, *u*, ut haberentur

in <i>fluatibus</i> —	<i>a</i> = 1,647;	<i>b</i> = 0,158;	<i>u</i> = 1,012;
— <i>carbonatibus</i>	<i>a</i> = 1,225;	<i>b</i> = 0,118;	<i>u</i> = 0,762;
— <i>volframatiibus</i>	<i>a</i> = 1,002;	<i>b</i> = 0,097;	<i>u</i> = 0,624;
— <i>sebatibus</i> —	<i>a</i> = 1,000;	<i>b</i> = 0,096;	<i>u</i> = 0,623;
— <i>muriatibus</i> —	<i>a</i> = 0,9834;	<i>b</i> = 0,095;	<i>u</i> = 0,6137;
— <i>oxalatibus</i> —	<i>a</i> = 0,934;	<i>b</i> = 0,090;	<i>u</i> = 0,582;
— <i>phosphatibus</i>	<i>a</i> = 0,720;	<i>b</i> = 0,070;	<i>u</i> = 0,449;
— <i>formiatibus</i>	<i>a</i> = 0,713;	<i>b</i> = 0,069;	<i>u</i> = 0,444;
			in <i>ful-</i>

in sulphatibus	$a = 0,705;$	$b = 0,068;$	$u = 0,439;$
— succinatibus	$a = 0,585;$	$b = 0,056;$	$u = 0,363;$
— chromatibus	$a = 0,512;$	$b = 0,049;$	$u = 0,319;$
— nitratibus	$a = 0,498;$	$b = 0,0481;$	$u = 0,3107;$
— acetatibus	$a = 0,477;$	$b = 0,046;$	$u = 0,297;$
— citratibus	$a = 0,446;$	$b = 0,043;$	$u = 0,277;$
— tartratibus	$a = 0,417;$	$b = 0,040;$	$u = 0,259;$
— arseniatibus	$a = 0,342;$	$b = 0,035;$	$u = 0,213;$
— molybdatibus	$a = 0,314;$	$b = 0,030;$	$u = 0,196;$
— arsenitibus	$a = 0,217;$	$b = 0,021;$	$u = 0,135;$

Si ita expositi valores numerici in seriebus modo memoratis loco litterarum substituantur, habebitur non modo ratio oxygenii ad metallum in sale quovis metallico accuratius quam ex aliis observationibus, & quidem secundum RICHTERI sententiam mathematico rigore determinata, sed etiam quantitas oxygenii, quam unumquodque acidum una cum metallo sibi adiscat, & proportio acidi ad oxidum metallicum, qua saturatus obtineri poscit sal. In his quoque salibus eundem adesse saturationis gradum ac in salibus neutris per bases alkalinas aut terreas producunt, fatis perspexit ex perfecta partium constitutivarum transmutatione, ubi duo diversi generis salia per duplices affinitates, in duo alia convertantur, atque ex servata in transformatis neutralitate. Itaque & bases & acida omnium salium a RICHTERO examinatorum simultaneo aspectui offerri possunt, exponendo quantitates oxidorum metallicorum, alkaliū & terrarum, quibus data unius acidus quantitas saturari poscit, & quantitates ceterorum omnium acidorum, que æquales, ac istud acidum normale, possident saturandi facultates. Sic partibus salium metallicorum auctam exhibere licet tabulam FISCHERI supra (p. 188) expositiā, qualem, ad normam acidi sulphurici, cuius cum quantitate = 100 ea uniuscujusque oxidi metallici copia coniungeretur, que constantem oxygenii quantitatem = 459 fove-

foveret, ipse obtulit RICHTER (6y). Itaque 1000 acidi sulphurici partibus fasturandis sufficient

<i>aluminæ</i> partes - -	525	<i>ammoniacæ</i> partes - -	609
<i>magnesia</i> - -	614	<i>calcis</i> - - -	793
<i>soda</i> - -	859	<i>glucinæ</i> - - -	1053
<i>oxidi manganesei</i> - -	1144	<i>oxidi niccoli</i> - - -	1212
<i>oxidi ferri</i> - -	1280	<i>frontianæ</i> - - -	1329
<i>oxidi zinci</i> - -	1348	<i>oxidi cupri</i> - - -	1416
<i>oxidi chromii</i> - -	1484	<i>terrae aquifinae</i> (6z)	1504
<i>potassæ</i> - -	1605	<i>oxidi antimonii</i> - - -	1756
<i>oxidi cobalti</i> - -	2096	<i>oxidi auri</i> - - -	2164
<i>barytæ</i> - -	2222	<i>oxidi flanni</i> - - -	2232
<i>oxidi platini</i> - -	2300	<i>oxidi titani</i> - - -	2504
<i>oxidi uranii</i> - -	2640	<i>oxidi tellurii</i> - - -	2776
<i>oxidi bismuthi</i> - -	3116	<i>oxidi arsenici</i> - - -	3320
<i>oxidi plumbi</i> - -	3592	<i>oxidi argenti</i> - - -	3728
<i>oxidi molybdeni</i> - -	5496	<i>oxidi hydrargyri</i> - -	5904

Et ex his basium quantitatibus sales æqualiter neutri producentur cum

<i>acidi fluorici</i> partibus	427	<i>acidi carbonici</i> partibus	577
<i>acidi volframici</i> - -	700	<i>acidi sebastici</i> - - -	706
<i>acidi muriatici</i> - -	712	<i>acidi oxalici</i> - - -	755
<i>acidi phosphorici</i> - -	979	<i>acidi formici</i> - - -	988
		<i>acidi</i>	

6y) BOURGUET *Chemisches Handwörterbuch* herausgegeben von RICHTER Berlin 1803; B. 3. Art. Neutralität. Ex recensione in SCHWEIGERS *Beyträge zur Chemie und Physik*, B. 15. p. 497, 498.

6z) Hanc quidem terram, cui locum in seriebus basium assignaverat RICHTER, facta ulteriori examine, invenit a sulphate calcis vix differere.

<i>acidi sulphurici</i>	-	-	1000	<i>acidi succinici</i>	-	-	1209
<i>acidi chromici</i>	-	-	1380	<i>acidi nitrici</i>	-	-	1405
<i>acidi acetici</i>	-	-	1480	<i>acidi citrici</i>	-	-	1523
<i>acidi tartarici</i>	-	-	1694	<i>acidi arsenicici</i>	-	-	2058
<i>acidi molybdici</i>	-	-	2237	<i>acidi arsenicosi</i>	-	-	3260.

Nonnullorum ex hisce acidis quantitates oxygenii exakte definire studuit RICHTER. Quantum enim acidis sulphurico, phosphorico, fluorico, carbonico, muriatico & nitrico competit, facile ex iis patet, quae jam (pag. 196) retulimus. Ex aliis tentaminibus conclusit, quod in 1575 partibus acidi chromici ad sint 575 partes oxygenii; in 1036,9 partibus acidi molybdici, 86,9 oxygenii partes; in 1349,6 p. acidi arsenicici 349,6 p. oxygenii; atque in 1151,2 p. acidi arsenicosi, 151,2 partes oxygenii, ex quibus datis facili computatione eruitur, quantitates oxygenii in hisce decem acidis, ea proportione sumtis, ut datam baseos quantitatem æqualiter saturare possint ita æstimandas esse, ut habeantur in *acido fluorico* oxygenii partes 289, in *acido carbonico* 415,4, in *acido muriatico* 509,8; in *acido phosphorico* 587,4; in *acido sulphurico* 580; in *acido chromico* 503,8; in *acido nitrico* 1117; in *acido arsenicico* 553,1; in *acido molybdico* 178,8; in *acido arsenicoso* 428,2. Quæ quidem rationes parum congruunt cum indaginis recentiorum, ut in sequentibus videbimus nostræ operæ partibus.

Improbaverunt non immerito multa RICHTERI dogmata, qui post illum naturam corporum compositorum investigati sunt, observantes eum non semper fatis adhibuisse curæ de puritate substantiarum, quarum affectiones & relativas quantitates indagare occupaverat. Objecerunt ipsis porro, quod deducta ex experimentis suis consecaria variis modis corrigeret, prout visum fuerit, addendo aliquid aut substrahendo numeris per observationes detectis, quo quantitates obtineret apta in

in seriebus harmonicis loca occupantes; quibus correctionibus pluries interdum repetitis acciderit, ut numeri demum suppeditati nonnunquam magis ab observationibus abluderent, quam quod fas eset errori in observando attribuere. Sit autem, quod pro fabula commentitia habeant chemici doctrinam RICHTERI de seriebus quantitatum arithmeticis & geometricis; sit, quod in experiundo lubricam interdum & perfidam evitare ipse non sciret viam; agnoscunt tamen semper scientiae cultores, quod per assiduas RICHTERI lucubrationes multum lucis affinitatum doctrinæ acceserit. Ditatam agnoscunt hodierni RICHTERI opera scientiam, qui ulteriore experientia instructi, magis cauti, vestigiis ejus etiamnum insistunt. Nova vero inde addita doctrinæ incrementa, utpote ad ultimas expositio- nis nostræ partes pertinentia, posthac consideratiuri, exactum jam cum tempore RICHTERI habemus secundam historiæ affinitatum periodum:

---